

Q. N. 270. 126  
Curriculum Vita D. Joh. Andr. Schmidy.

Ze 2230

X 2120 537

DECANVS COLLEGII  
THEOLOGICI  
VALENTINVS  
SSS  
S. THEOL. D. P. P.

L. S. D.





**I**ngens & inenarrabile  
est beneficium Dei, quod per Filii sui Spiritum in animis mortalium non fanatico spiritu aut fatuo fictitii sui interni luminis igne actorum, sed vere credentium, vi & virtute ipsi Scripturæ sacræ canonicæ insita, testimonium de pace ipsorum cum Deo & quiete spirituali perhibet, certosque de æterna eorundem salute reddit certitudine non mere hypothetica aut suspensa ab incerta conditione, sed certitudine (quamvis non simpliciter, vere tamen) absoluta, utpote certam firmamque consolationem, pariente, hæcque quies *AEQVE* (non tamen æqualiter) ab ipsa Scriptura sacra canonica, ac a Deo trinuno Patre, Filio & Spiritu sancto est, quia a Sanctissima Trinitate per ipsam Scripturam sacram efficitur, sicque a Deo æque ac Scriptura sacra canonica immediate procedit, ceu in *Theologia nostræ memorialis* publicis typis nuper excusæ *Loco XIII. pag. 1279. usque ad pag. 1312. & Loco IX. a pag. 806. usque ad pag. 825.* ex ipsa Scriptura *θεοπνευστω* sat prolixè deduximus. Est igitur argumentum hoc de mentis eleuatione in suum bonum, hominem a mundo in se reuocans & aduersus impetuosos cuiuslibet ætatis adfectus muniens, instruens, informans, ut maximi momenti, ita præclarissimi usus. Quo ipso *nostra religio ut sola orthodoxa* ab omnibus aliis religionibus heterodoxis distinguitur, nominatim quoque a Pontificia  
men-

mentem hominis vere catholici nunquam serenam ac *quietam* esse posse adserente; *Caluiniana* nihil præter miserum, sophisma vel ex maiore particulari in prima aut secunda, vel ex puris particularibus, quo *quietus* reddatur animus, adferre valente; *Sociniana* iustitiam proprie dicti alieni meriti, nempe meriti Christi, extra quam nulla *quies*, prorsus negante. Equidem inuenti olim fuerunt ac etiamnum, inueniuntur, qui a nostra religione verisve hypothesibus nostris alieni veram talismodi *quietem* spirituales plenis buccis iactant, sed de nomine conuenit inter nos tantum, in re discriminamur; Quod vel ex eo perspicuum est, quia veram quietem spirituales negant per Scripturam sacram canonicam effici, voluntque suam esse plenam perfectamque. Sed o tenebras cimmerias, & coecas errore fundamentali mentes! Non hæc ad veram quietem via est, sed erratio ac perpetua inquietas. Non enim plena perfecta que quietas animi ob perpetim inquietam carnem eique adhærens peccatum in vilo homine, etiamsi renato dari potest, quamdiu in seruitutis carcere sumus, nullis non iniuriis exposito, in miseriarum theatro, in valle lacrymarum, in cloaca publica & omnium malorum colluie, in loco habitantes, mille discriminibus obnoxio, vndique peruio & patenti, tam intus, quam foris, tam in agris, quam domi vexato, loco, in quo certum est vitam aliquando, sed citius quam labem peccati amittendam. Et sic quum hodierni *Quietista* cum suo *D. Michaelæ Molinos* omnem veram posthabent quietem, venerabile tamen adhuc ac sacrum quietis nomen est: atque quieti non esse quidem, sed videri saltem auent, illustriori tantum quietis fuce miseram mentem pigmentati, aliosque suis quietisticis *adnihilationibus*, *superessentialibus vnitionibus*, *deificantibus amationibus*, *abyssalibus cum Deo identificationibus*, *deificis confricationibus*, *totalissimis carnis inquietæ mortificationibus* inque esse diuinum *absorptionibus*, *expropriationibus* & innumeris aliis talismodi subtilitatibus ac laboriosis otiis in-



quietarum mentium rapientes in admirationem fascinantesque. De quibus alibi distinctius egimus & ex instituto. Nam & primitus, ut ortum moris augurer, non pauci veterum, referente etiam Augustino, quietis amore incensi erant, eamque sectabantur; verum haut propter se, sed auram popularem, cui inhiantes id spectabant unum, ut ab aliis diuini velut & absoluti suspicerentur. Sed nunc quidem de his plura dicere non est opus; adest namque prolixior declarator & egregius adsertor ac vindex veræ ac salutaris quietis spiritualis, aliquot prælectionibus Theologicis publice audiendus: Vir quippe plurimum Reuerendus, Amplissimus atque Excellentissimus,

**DN. IOANNES ANDREAS**

**S E M M S D E /**

**S. Theologiæ Candidatus dignissimus,**

Logices autem & Philosophiæ primæ Professor publicus ordinarius celeberrimus, & Alumnorum Ducalium Saxonorum Ephorus meritisimus,

cuius vitæ cursum, more recepto, breuiter delineabimus. Natus is est VVormatiæ, vrbis ad Rhenum perantiquæ, sed hoc rerum statu per vastatrices Gallorum flammæ in cineres deiectæ. Patrem habuit Virum maxime Reuerendum, Amplissimum & Excellentissimum DN. Magistrum **GEORGIVM Schmidt**/ plurimum Reuerendi ibidem Ministerii Seniore venerabilem Scholarumque Visitatorem meritis insignem: Matrem vero, Matronam ornatisimam, sui sexus decoribus, **CATHARINAM Petrusin**/ e familia apud Augustanos optime nota. Ab his *vñv cu ajiõis*, prima pietatis elementa moresque probatos non duntaxat accepit, sed etiam, quam primum ætas ferebat, traditus fuerat

rat

rat magistris, ut maiores quotidie faceret profectus? Hos temporis successu iuuit publica institutio in Gymnasio VVormatiensi, quod nunquam non celebribus claruit viris, quos inter merito refert Excellentissimum Virum, DN. CASPAREM EBELIVM, Philosophum illum insignem, inque Marpurgensi Academia Logices & Primæ Philosophiæ Professore publicum, & Theologos excellentissimos SITTIGIVM & MISLERVM. Ex his enim præter clarissimos viros, DN. Magistrum KLOH & DN. Magistrum HVNERVM, Conrectorem illum, hunc vero Collegam, breui quidem tempore audiuit Rectorem, DN. VALENTINVM SITTIGIVM, postea Pastorem Budisfinensem & nunc S. Theologiæ Doctorem, Superintendentem Martisburgensem generalem meritissimum, Confiliarium Ecclesiasticum, Concionatorem Aulicum & Confessionarium Ducalem Saxonicum, huiusque in Gymnasio successorem DN. HARTMANNVM MISLERVM, posthac Pastorem & Rectorem Stadensem, & iam S. Theologiæ Doctorem & Superintendentem Verdensensem, quorum memoriam grata mente recollere voluit. Cum autem vnus mensis spatio laudatissimis parentibus orbaretur, & mox pestifera lues A. O. R. M D C L X V I adeo in vrbe sauiet, ut & Musæ filere longo tempore cogentur, non exigua studiis illius mora fuit iniecta, donec tandem anno proxime sequenti ab Auo materno DN. IOANNE PETRVSSEN, Augustam Vindelicorum translatus studia priora repetendi & continuandi commodam acciperet occasionem. Heic quippe Daudicum illud & in se deprehendit verum: *Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem adsumpsit me*, dum Patronos illi excitauit vere Augustos, COLLEGI AVGVSTANAE CONFSSIONIS ADMINISTRATORES magnificos qui sextum annum in laudato Collegio animum corpusque eius liberaliter aluerunt, atque postmodum in Alma nostra Salana insignem fauorem erga nostrum, vere nostrum, fauore gratiamque

continua gratia cumularunt. Quam magnificentiam dum spiritus reget artus, deprædicare minime cessabit, & augusta quæque illis semper adprecabitur. Factum id omne sub Ephoratu beati DN. Magistri IOANNIS CROPHII, genuini ex Bœcleriana schola discipuli. Sub huius ductu studia colebat humaniora, linguas orientales cum aliquo Philologiæ atque Philosophiæ prægustu. De eo impense sibi gratulatur, quod ἀνεωμένον & studia academica non accesserit. Integrum enim Mathematicum cursum a quodam Matheſeos probe perito explicari sibi curauit, quem cum Augusta artium mechanicarum Academia per Germaniam princeps semper exstiterit, harum rerum partim curiosa & utili inspectione, partim propria tractatione exornauit, probe conscius facilius utiliusque hæc in praxi, quam e solis multisve libris disci. His instructus, SUPERIORVM gratioso indultu, sese contulit in hanc Salanam anno M DC LXXIII paucis ante festum Pentecostes diebus Rectore tum temporis Magnifico DNO IOANNE FRISCHMUTHIO, Linguarum Orientalium Professore Publico longe celeberrimo meritisimoque totius Academiae Seniore venerabili, Socero meo ac Præceptore æstimatissimo, & post beatum obitum quoque a me pie colendo, cui peculiariter cura Augustanorum, qui studiis operam heic dabant, a supra celebratis DNN. ADMINISTRATORIBVS commissa fuerat, a quo omnem fauorem eumque nunquam satis deprædicandum, quoad viueret, se expertum fuisse, diserte fatetur. Ut vero rationem studiorum haberet, excellentissimorum illius temporis Professorum lectiones tum publicas tum priuatas sedulo audiuit: Beatum DN. FRISCHMUTHIUM in solida non minus quam utili explicatione institutionum Schickardi occupatum: DN. ERHARDVM VVEIGELIUM, Mathematicum Professore publicum, Consiliarium Cæsareum ac Palatino Solisbaccensem, & totius Academiae hodie Senioremem venerabilem, varia meletemata priuatim tradentem: DN. CASPAREM POSNERVM, Naturalium Professore, Physicam generalem & specialem

lem profitentem, nec non evidentissimas plenissimasque demonstrationes exhibentem geneanthropologicas, qui simul aditum interiorem ad instructissimam simul ac rarissimam in hoc studiorum genere bibliothecam pro facilitate sua concessit, per quam non parum profecisse semper animo grato agnoscet. Beatum DN. IOANNEM ANDREAM BOSIVM, Historiarum Professore publice introductionem in vniuersam historiam sæcularem, priuatim vero de comparanda notitia scriptorum magna cum cura explicantem: DN. PHILIPPVM MVLLERVM, Eloquentiæ ac Poeseos Professore, & hodie S. Theologiæ Doctorem eiusdemque Professore publicum extraordinarium, apud Magdeburgenses vero ad B. Mariæ virginis Præpositum & Prælatum. Meas quoque scholas frequentauit publicas diuersas & priuatas in *Guilielmum & Hugonem Grotios* de iure naturæ ac gentium: vult quoque, vt vel inuitus, tester, quod tamen sincerus amor veritatis exigit, nempe sedulum, frequentem ac constantem auditorem fuisse analytici vsualis, dein vero integri & per singularem Dei gratiam ad finem perducti, intra priuatisimos nempe parietes habiti, collegii acromatici pansophici examinatori & disputatorii, cui excellens Philosophiæ Magister inque extera Academia Professor Logices & Philosophiæ primæ tum temporis vocatus designatusque, hodie celeberrimus Vir, ac vndecim Candidati supremorum in Philosophia honorum intererant, quibus omnibus ac singulis statim post finitos hosce labores supremum gradum cum Senatus Philosophici vnanimi consensu adplausuque, æque ac aliis ipsorum Competitoribus, omnibus ac singulis ad amplissima officia dudum euectis ego brabeuta (non sine singulari animi lætitia idque inter singulares felicitatis Academicæ partes referens) contuli. Beatum quoque DN. CASPAREM SAGITTARIVM, S. Theologiæ Doctorem, BOSII successorem Historicumque Ducalem Saxonicum, sub initium vitæ academicæ priuatim de notitia scriptorum a nato Christo ad hoc vsque sæculum, cuius eruditam amicitiam etiam post  
fata

fata æstimat. Et cum videret, linguarum exoticarum notitiam hodie ornamentum æque ac subsidii loco esse, duce DN. CAROLO CAFFA, S. Theol. D. & LL. Italicæ & Gallicæ Professore celeberrimo, vtramque linguam, Italicam & Gallicam, sibi tanto studio comparauit, vt dissertationem de *prudencia politica* Italice conscriptam publice defenderit, & posthac in omnibus exercitiis Gallicis ac Italicis perpetuum egerit opponentem. His subsidiis probe instructus studia Theologica adgredi cœpit, & adhuc audiuit beatum DN. D. IOANNEM MVSAEVM, Theologum de hac Academia & vniuersa Christi Ecclesia excellentissime meritum, in loca Scripturæ sacræ canonicæ secundum seriem Locorum Theologorum publica & solita, id est, exquisita ἀνεβεία commentantem: Summe Reuerendum & Excellentissimum DN. D. FRIDEMANNVM BECHMANNVM, S. Theologiæ Professore doctrina, meritis, fama amplissimum, Seniore Facultatis maxime venerandum, publice totam Augustanam Confessionem more suo, hoc est, summa perspicuitate ac dexteritate explicantem & ab aduersariorum φλυαρίαις solide vindicantem, cuius quoque priuatis exercitiis disputatoriis sub illius præsidio per omnes articulos fidei habitis vel opponens vel respondens interfuit: Summe Reuerendum & Excellentissimum DN. IOANNEM GUILIELMVM BAIERVM, S. Theologiæ Doctorem ac haut ita pridem nostratem, nunc in noua Fridericiana Professore famigeratissimum, in Ducatu Magdeburgensi Senatorem Ecclesiasticum, primumque ProRectorem Magnificum, superius seculum ad ductum compendii Historiæ Ecclesiasticæ Gothani discursibus priuatis illustrantem, itemque cum collegium disputatorium contra Pontificios secundum seriem decretorum Concilii Tridentini haberet, in quo noster nunc opponentis, nunc respondentis vicem subiit, quemadmodum & sub antea nominato B. SAGITTARIO primam in harmonia passionis Dominicæ dissertationem publice in cathedra nostra Theologica defendit. Anno LXXV a me Decano tum temporis



poris & Promotore, postquam disputationem proprio Marte  
 elaboratam de sanctimonia vinculorum per quæ Respublica  
 cohæret, illustri casu monstrata, sub meo moderamine, publice  
 cum frequentissimi ac constantis auditorii adplausu habue-  
 rat, meritis summisque in Philosophia honoribus orna-  
 tus fuit. Ex quo tempore habita pro præsidio disputatione,  
 legendo, perorando & disputando perpetim cum proprio au-  
 ditorumque suorum insigni fructu ac emolumento se exer-  
 cuit, vt tandem etiam dignus haberetur, qui Adiunctorum  
 Amplissimæ Facultatis Philosophicæ numerum ornaret. Vt  
 vero Academicos labores salutari & negotioso otio interdum  
 distingueret, Hallas Saxonum, Magdeburgum, Luneburgum  
 & Hamburgum concessit, virorum in omni re litteraria cla-  
 rissimorum consortium quarens. Magdeburgi quidem ad-  
 missus in amicitiam DN. OTTONIS DE GVERIKE, Consulis &  
 Confiliarii Electoralis Brandenburgici, ab eodem plenissime  
 in notitiam variorum experimentorum deductus fuit: Ham-  
 burgi autem præter DNN. Licentiatorum PLACCII & ANCKEL-  
 MANNI adfectum, quem laudat, quotidiano colloquio gau-  
 debat DN. Licentiati ESDRAE EZARDI, ad lectionem Rabbinici-  
 cam facilem monstrantis viam, atque discessum nostri ægre  
 ferentis, cuius idcirco gratam memoriam nunquam deponet.  
 Alio tempore Lipsiam ac Wittebergam se contulit, & cele-  
 bratissimos Dominos Doctores Theologos, illic quidem  
 B. SCHERZERVUM, LEHMANNVM, OLEARIVM, CARPZOVIVM, heic  
 vero B. CALOVIVM & DEVTSCHMANNVM vel disputantes in  
 cathedra Academica, vel perorantes ecclesiastica audiens,  
 Factum dein, vt SERENISSIMIS NVTRITORIBVS, PRIN-  
 CIPIBVS AC DOMINIS NOSTRIS CLEMENTISSIMIS,  
 ante laudatus Excellentissimus DN. VVEIGELIVS proprio mo-  
 tu eum ad professionem Matheseos extraordinariam & Con-  
 uictorii Ducalis inspectionem commendaret, ceu grato animo  
 celebrat. Cum vero res, Supremo Numine ita dirigente, trahe-  
 retur, interea DEI & SERENISSIMORVM DOMINORVM

)(

NVTRI-

**NU**TRITORVM auspiciis mihi in locum beati **DN**I **D.** **MV-**  
**SAEI** succedenti in professione Logices & primæ Philosophiæ  
anno **LXXXIII** susceptus fuit. In hoc munere lectiones publi-  
cas, singulis semestribus promissas, non duntaxat inchoauit,  
sed Diuina etiam gratia ad optatum finem feliciter perduxit.  
Priuatim nullius honestis desideriis defuit in omni Philoso-  
phia aliisque exercitiis utilioribus. In disputationibus ex Lo-  
gica, Naturali Moraliq̃ue Philosophia, Mathesi, & præprimis  
Historia vtraque, Ciuili, &, sub Facultatis Theologicæ cen-  
suris, Ecclesiastica, edendis nunquam non fuit occupatissi-  
mus. Testis est magnus earum, vt & operum Philosophico-  
rum omnium fere partium publicis typis excusorum nume-  
rus. Taceo nunc multas conciones siue orationes sacras  
quas pro meritisimis celeberrimisq̃ue Superintendentibus  
Generalibus, vtroque summe colendo Socero suo, Viris ma-  
xime Reuerendis, Amplissimis & Excellentissimis, **DN.** **THEO-**  
**PHILO** COLERO beatæ memoriæ, eiusque successore **DN.** **GEOR-**  
**GIO** GOEZIO habuit, ex parte editas egregioque volumine  
comprehensas, vt & meditationes de historia colloquiorum  
a Reformationis, quam vocant, momento ad hæc vsque tem-  
pora, propediem luce publica donandas; id vnum referens,  
quod **SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, DOMINI**  
**IOANNIS GVILIELMI**, Ducis Saxonix, Iuliaci, Clivix &  
Montium &c. Rectoris Academiae Magnificentissimi, Princi-  
pis & Domini nostri clementissimi gloriosæ memoriæ, grati-  
am ab altero reditus in hanc urbem die ad beatam mortem  
vsque constantissime expertus fuerit, dum principalem illum  
animum ad studia Mathematica natum consiliis suis ducere  
iubebatur. Cæterum oblatae sunt ei sæpius aliæ functiones,  
maluit tamen munus professionis Academicæ suis & animi  
& corporis viribus conuenientius præferre. Illas inter grata  
animi mente reticere nequit, quas altera vice ei obtulerunt  
Proceres Augustani Augustanæ Confessionis, nimirum Epho-  
ratorum Collegii, quem etiam gesserat quondam beatus **DN. D.**

**GEOR-**

GEORGIUS MYLIVS, Augustanus, Antecessor noster etiam post  
fata celebratissimus, & dein Pastorum ad D. IACOBI, cui cele-  
berrimus vir ὁ μακροβίος DN. SPIZELIVS præfuerat. Non ita pri-  
dem nostra Facultas eum ad Professionem Theologicam ordi-  
nariam plenissimis suffragiis cum aliis denominavit, SERE-  
NISSIMISQVE NVTRITORIBVS, DOMINIS nostris cle-  
mentissimis nosmet ipsum ab egregia ac plane eximia erudi-  
tione, inculpatae vitæ genere, insigni ac continuo pacis & con-  
cordiæ studio, & quod præcipuum est, pietate aliisque, quæ  
Statuta nostræ Facultatis, in quæ iurauimus, exigunt, ea, qua  
altissime memoratis SERENISSIMIS NVTRITORIBVS fan-  
ctissime obstringimur, fide soloque gloriæ diuinæ ac boni  
publici amore ducti sponte nostra ac vnanimi consensu com-  
mendauimus, ipse autem proxime sequentibus eiusdem heb-  
domadis diebus ab aliis Academiis ad idem officium ordina-  
rium expetitus fuit. Eximia eius modestia non permittit,  
vt eum vberioribus, optime tamen meritis laudibus eueha-  
mus. Hunc igitur, cum honestissimo summorum in Theo-  
logia honorum desiderio tangeretur, eoque modestè expo-  
sito, simul ad specimina Statutis Ducalibus præscripta admitti  
decenter postularet; non solum matriculæ candidatorum li-  
bentissime adscripsimus: verum etiam in primo colloquio,  
quod TENTAMEN Antecessores nostri vocarunt, (quo tamen  
labore ipse, Facultate Theologica ei, æque ac olim aliis, de  
quorum profectibus moribusque satis constitit, beneuole of-  
ferente, supersedere potuisset, nisi maluisset is profectus suos  
ab ea intimius explorari, quo certiores certioresque de iis,  
etsi probe cognitis, redderemur ipsi, aliosque reddere posse-  
mus) optime stetit, & ad omnia ac singula quæ sita nobis exa-  
minatoribus sufficienter ac eruditissime cum singulari animi  
promptitudine ac condecencia respondit, vt nulli certe du-  
bitemus, quin pariter *ικανότητι* suam publicis documentis  
conspicua omnibus redditurus sit. Cras itaque, Deo vo-  
lente, loco horisque solitis initium faciet *lectionum cursoriarum,*  
X )( 2 quibus

Ze 2230

quibus *historiam Quietistarum veterum & recentiorum* proponet, reuolutionem quandam si non ex toto, tamen ex parte ostensurus, & omnia quantum per temporis rationem fieri poterit, ad vnicum, genuinum & adæquatum totius orthodoxæ Theologiæ, fidei ac religionis saluificæ principium, nempe totam Scripturam sacram canonicam ex sincero veritatis cœlestis ac saluificæ ea comprehensæ amore pie ac candidè, examinaturus. Proxime subiiciet, me Præfide, his laboribus exantlatis disputationem inauguralem *de eucharistia mortuorum*. Eos actus vt Magnificus DN. Rector, Patres item Academiæ omniumque ordinum honoratissimi Professores, Doctores ac Ciues nostri & quotquot sacra studia æstimant ac amant, illustriores reddant, nomine Collegii ac proprio peramanter & officiose rogo. P. P. sub sigillo Facultatis, Domini-  
ca post Festum natiuitatis Saluatoris & Domini nostri  
Iesu Christi die xxx Decembris  
A. O. R, M DCXCIV.

J E N Æ,

Typis WERTHERIANIS.



WON

11



Qk. 270. 26  
Curriculum Vita D. Joh. Andr.

DECANVS  
THEOLO  
VALEN  
S. THEOL.

L. S.



e  
30

